



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Opvs De Iudiciis Divinis, Qvae Devs In Hoc Mvndo Exercet

Accessit index concionatorius in omnes totius anni dies Dominicos &
Festos, ab ipso Auctore confectus

Stengel, Georg

Ingolstadii, 1651

4. Bonitas diuina, etiam in operibus, quibus de condigno nihil debetur,
remunerandis.

urn:nbn:de:hbz:466:1-45653

Pratorio his, quos Clerici dixerant, dixit Episcopus: Num ipsi pro ista fidei iussistis? Qui dixerunt: Neque nouimus, neque conscij nobis sumus, hoc fecisse. Tunc vero iam cognouit Episcopus, DE I hoc opus esse. Conuocansque illam dixit ei: Dic mihi, filia, quid gessisti boni? Quæ ait: Meretrix existens, & paupercula, quid boni operari potui? Dixit illi Episcopus: Nihilne omnino operata es? Dixit ei: Non, nisi quod videns quendam, qui à creditoribus premebatur, se suffocare volentem, datâ illi omni substantiâ meâ, liberaui illum. Et his dictis, continuo obdormiuit in Domino. Tunc Episcopus glorificans Dominum dixit: Iustus es Domine, & rectum iudicium tuum.

Hoc baptismo vel meretrici, ante mortem, diuinitus procurato; non tantum mirabilia & arcana Dei iudicia illustrantur; sed etiam erudiuntur illi, qui, quæ olim piè gesserunt, frustra esse gesta existimant. Bonus est Deus, etiam illorum operum non obliuiscitur, quæ mortali delicto extincta sunt. Illis enim et si cœlum non debeatur: enimuerò et si de condigno nihil omnino debeat, tanquam Dei inimicis, nisi pœna; congruum tamen existimat Deus, ut aut bona recipiant in vita sua, cum Epulone illo, aut ut illis aliunde via ad cœlum aperiatur. Et quis inenarrabilem bonitatem illius dignè admirari, quis pro ea dignè gratias agere queat? ait Blofius. Nam cum nemo ad salutem perueniat, qui non vel tantillum charitatis habeat, ut ex amore Dei, saltem in extremo vite posuius, pœnitentiâ agat, auerseturque peccata: ecce ipse misericordissimus hominumque, amantissimus Deus, saepe se usque adeo benignum & amabilem etiam desperatissimis peccatoribus (quos alicuius virtutis merito insignitos esse cognoscit) sub mortem exhibet, ut illi ex intimis precordiis doleant, quod offenderint tam piûm Conditorum atque Redemptorem. Per quam nimirum pœnitentiâ, apti redduntur ad salutem consequendam; & peractâ tali peccatorum purgatione, qualem diuina iustitia quaesierit, in æternum cœlestis regni gaudium introducuntur. Profecto in altissimo secretissimoque, profundo latet fons ille inexhaustus, unde tanta pietas ad nos dimanat, unde tanta misericordia super nos effunditur: de qua qui desperat, Deum bonum & veracem esse negat, in Spiritum sanctum blasphemus est. Hæc ille.

At ne, qui vel eleemosynæ, vel alterius cuiusdâ boni sibi operis conscius est, temerariè præsumat, sibi que certò Numinis gratiâ promittat, etiam si in grauiâ scelera prolabatur; sciat multos, immo plurimos in Inferno ardere, qui vel antè, quàm se flagitijs in-

I V.

Luc. 16. 25.

Ludou. Blofius In Canone vit. spirit. cap. 2.

V.